



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. XII. De ordinatione, seu consecratione Archiepiscopi vel Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

cui incumbere examen ordinandorum, qui presentaverunt ordinandum talem; in defectum tamen horum etiam ipse Episcopus tenebitur, cum non tam in modum pœnæ hæc talia statuta sint, quàm in Cleri honorem. Ordinati verò taliter sine titulo, si illi in culpa non fuerunt, nullam pœnam aut suspensionem incurrunt, incurrunt tamen probabilis ab executione suscepti ordinis suspensionem, & irregularitatem, in ordine suscepto ministrantes, si dolosè & malitiosè deceperunt Episcopum, fingentes v. g. titulum se habere, cum tamen non haberent; neque Episcopus, qui ordinavit tales, ad præbenda illis alimenta obligabitur; quod si tamen uterque tam Episcopus ordinans, quàm ordinatus in culpa sit, ille quidem obligationem alendi subibit, hic verò suspensionem juxta can. 1. & 2. dist. 20.

§. XII.

*De ordinatione, seu consecratione
Archiepiscopi, vel Episcopi.*

Vide de his, si jus antiquum nosse velis, quod tamen in usu amplius non est, c. 6. & 7. b. 1. & quæ supra dicta si nr.

SECTIO. II.

*De potestate exercendi alia
Pontificalia præter collationem
ordinum.*

§. I.

*De insignibus Pontificalibus, &
potestate exercendi actus Pontificales,
quæ Episcopis competit.*

Insignia Episcopalia, quibus Episcopi de jure communi uti possunt, sunt Mi-

tra sive Infula, Pedum sive baculus Episcopalis, annulus, caligæ, sandalia, turnicella, dalmatica, chirothecæ, & crux pectoralis. Actus autem, quos jure proprio Episcopi vi ordinis sui exercere possunt, sunt ordines sacros conferre, baptizatis Sacramentum confirmationis ministrare, populum solemniter benedicere, conferre primam tonsuram, & minores ordines, consecrare virgines, Ecclesias, altaria, calices seu vasa sacra, corporalia, & alia paramenta sacra benedicere &c. quorum quidem aliqua simpliciter etiam Sacerdoti à Summo Pontifice committi possunt, non tamen ab illo inferiore Episcopo; neque possunt Episcopi in aliena diocesi sine licentia ordinarii loci, actus tales, qui jurisdictionem admixtam habent, exercere. Possunt tamen exercere in aliena etiam diocesi etiam sine licentia ordinarii loci, actus illos Episcopales, qui nullam jurisdictionem admixtam habent (quales actus sunt solemniter cum paramentis Episcopalibus celebrare, solemniter benedicere, solemniter verbum divinum prædicare) cum Trident. prohibens exercitium Pontificalium in aliena diocesi, de illis tantum actibus intelligendum sit, qui jurisdictionem admixtam habent. Quæ tamen omnia ita intelligi debent, ut liceant vel non liceant in aliena diocesi, nisi consuetudo aliud habeat, prout in nostra Germania non solent Episcopi in aliena diocesi, neque alii Prælati usum Pontificalium habentes, in Ecclesiis sibi non subiectis, aut extra proprias Ecclesias Pontificaliter celebrare sine consensu ordinarii loci, quia non conceduntur talibus Pontificalia, nisi in ordine ad suam Ecclesiam, vel diocesim.

§. II.